17

✠

B R E V E

DE N. SSmo. P.

CLEMENTE XI.

AL ILmo. SEÑOR

DEAN, Y CABILDO

DE LA S.TA IGLESIA PATRIARCAL
DE SEVILLA.

DILECTIS FILIJS CAPITVLO,
ET CANONICIS METROPOLITANÆ
ECCLESIÆ HISPALENSIS.

CLEMENS PP. XI.



ILECTI FILIJ SALVTEM, &c. Acceptam à Maioribus Veſtris, quorum fides erga Sanctam hanc Sedem præclarè ſemper enituit, devotionem in eam, ac Noſmet-ipſos eximiam, & prorſus filialem vndique ſpirat Epiſtola veſtra viij. Kalend. Novembris, anni nuper elapſi conſcripta, pla-

nè

nè luculenta, præloquè digna, quæ à Dilecto Filio Io: Antonio de Vizarron, istius insignis Metropolitanæ Ecclesiæ Archidiacono proximè reddita nobis fuit. Eam Nos peculiari cum animi nostri solatio perlegimus, gavisique magnoperè sumus egregiam, quam de pietate, ac virtute vestra iam dudùm gerebamus, opinionem novo hoc amplissimo, & certè ad posteritatis memoriam ituro documento comprobari. In primis autem perlibenter audivimus Vos binis Constitutionibus, quas ad evellenda Iansenianæ hæresis mala germina promulgavimus, debitam obedientiam alacri, promptoque animo præstitisse; paratosque esse Pontificiam authoritatem, sanamque doctrinam, omni conatu, ac ope vsque ad sanguinis effusionem asserere. Meritis itaque laudibus studium, zelumque vestrum in Domino prosequentes, exploratum Vobis esse cupimus pristinæ nostrę erga Vos voluntati non levem hoc nomine cumulum accessisse, quemadmodùm oblata occasione Vobis gratificandi, re ipsa experiemini, Dilecti Filij, quibus interim Paternæ nostrę charitatis pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, &c. Die 8. Februarij 1718.